



II u
903





Al. 548, 17

DISPV TATIO INAVGV RALIS MEDICA
DE
V E N A
FONTE HAEMORRHOIDVM
NON SATIS LIMPIDO



Q V A M

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

GEORGIO AVGVSTO
LANGGVTH D

PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O. FAC. MEDIC. SENIORE
ET H. T. DECANO

AD DIEM XXII. IVNII MDCCCLXVIII

H. L. Q. C


PRO GRADV DOCTORIS

DEFENDENDAM IN SE SVSCIPIT

IOANNES AVGVSTVS HEINSIVS

SORAVIA - LVSATVS

MEDICINAE CANDIDATVS



WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS



DISSELTATIO INNOV. YEALE MEDICA

DE

V. E. N. A.

FRONTE HAEMORRHOIDVM

NON SATIS LIPIDO

Q. V. A. N.

CONSENSU GRATIOSI MENINGITIS OPHITH

FRASIDE

GEORGIO AVGVSTO

LANGVITH D.

FRONTE ET CHIRURGIAE F. O. FAC. MEDIC. PRINCIPIS

ET M. P. DECANO

AD FIRM. XEIL. IVALL. WICHOCCERXVII

M. L. C.

PRO GRADV DOCTORIS

FRONTE ET CHIRURGIAE F. O. FAC. MEDIC. PRINCIPIS

JOHANNES AVGVSTVS HELMSTEDT

MEDICINAE CANDIDATVS

WITTENBERG

FRONTE ET CHIRURGIAE F. O. FAC. MEDIC. PRINCIPIS

M. L. C.






Q. B. V.

VENA FONS HAEMORRHOIDVM
NON SATIS LIMPIDVS.



§. I.

 Inesse in doctrina de Haemorrhoidibus, tanquam in fonte non admodum nitidis argenteo vndis, quae non satis limpida profluant, inter alia, nuper admodum a nobis oblata, ^{a)} vel ex eo liquidissime colligas, quod scholae nostrae de Fontibus earum genuinis nondum prorsus consentiant. Sunt enim, qui, vltima cum antiquitate, Venas principium ac fontem purpurei huius fluminis habendas esse, hucdum, saepeque iracundius, ^{b)} contendant; sunt, qui Arteriis hanc praerogatiuam, hoc meritum, vindicandum, etiam a multo iam tempore, constituent; sunt denique, qui, pacis amantiores, ad Vasa generatim Haemorrhoidalia, quid

A 2

a) in Diss. de Haemorrhoidibus, morbo caeco. 1766.

b) I. C. KÜCHLER in Diss. de Haemorrh. apert. Lips. 1709. §. 7.



quid huius, aut officii, est, aut beneficii, deferri malint: omnes summi, numeroque ac auctoritate aequae venerabiles, viri. Enimuero, tam conspicua, et sua hodie luce radians, Venas Arteriasque intercedit discrepantia; tanta est in structura, forma, omnique earum habitu, diuersitas: vt consentaneum esse nequeat, suum cuique finem ac officium ab diuina et intelligente natura non esse propositum, impositumque.

§. 2.

Hunc tamen finem naturae speculatores ac interpretes, ad initium superioris seculi, vt peruulgatum notumque est, non recte intellexerunt. Ante HARVAEVM, ^{c)} enim, eo munere defungebantur Venae, quo nunc, post detectum demonstratumque sanguinis circuitum, Arteriae prosperius indutae sunt: vt sanguinem scilicet, exque eo secernendos secretosque humores, a corde ad omnes corporis partes adueherent. Concinne CICERO, ^{d)} cui hominis fabricationem tam perspectam fuisse mireris, vniuersum hoc antiquioris Medicinae systema vel binis verbis comprehendit, *Sanguis, scribens, per Venas in omne corpus distribuitur, et Spiritus per Arterias;* quod GALENVS ^{e)} plenius persequitur, et a *Vena Caua alias etiam propagari*

c) Nouam hanc suam sententiam, de Motu et Vsu Cordis, et Circuitu Sanguinis, nobilissimus Anglus in praelectionibus suis anatomicis in Theatro Medicorum aperuit, et nouem post annis Francofurti ad Moenum primum diuulgauit, hoc titulo: GVIL. HARVAEI, Angli, cct. *Exercitatio Anatomica de Motu Cordis et Sanguinis in Animalibus.* Frf. 1628. 4. vid. DOUGLASS. in *Bibliogr. Anat.* p. 240.

d) de *Nat. Deor.* II. 54.

e) de *Venar. et Arter. Dissect.* c. 3. Ἀπὸ ταύτης, (μεγίστης φλεβός,) ἢν κοίλην ὀνομάζουσιν, αἱ δὲ καὶ εἰς ὅλον τὸ σῶμα παράγουσαι τὰ αἷμα φλέβες διεκφύονται.



gari Venas, docet, *quae in omnes corporis partes sanguinem deriuent*. Subiectum igitur, quod appellatur, sicut Haemorrhoidum, ita omnium reliquarum Haemorrhagiarum, recepta hac, tanquam indubitate supponenda, hypothefi, Venae satis probabiliter poterant, imo plane debebant, constitui. At, confutata nunc, penitusque reprobata ac reiecta, hac doctrina, fieri qui possit, vt Venae tamen, exque omnibus solae Haemorrhoidales forsan, veluti in statione sua retineri, in primisque nimis abundantem aut bullientem sanguinem ad partes, ad recti alueum intestini, critice ac periodice adducere, perque imam hanc excrementorum viam educere, posse, credantur: hoc sane habendum est eiusmodi, vt in paradoxo, vt in iis prorsus, quae ipsi Sanguinis Circulationi tantum non repugnent, iure optimo censei mereatur. Vt luculenter autem appareat, quam iusta sit, aut iniusta, haec sententia, videndum nobis ante omnia, breuiterque repetendum erit, quae nam fuerint, ac etiamnum sint, praecipua conditae huius defensionis, hypotheseos, sanguinis per Venas Sedis profluentis, fundamenta; deinde vero ostendendum, quam illa in lubrico ac instabili locata esse videantur.

§. 3.

Ergo igitur Venae, sinceri, et corpus nutrientis, sanguinis promi quasi condi Veteribus erant, et vasa sanguiflua, siue sanguifera, secundum naturam sola habebantur. In Arteriis autem sanguinem tenuem, non nutritium, sed spirituosum, et secretioni spirituum animalium destinatum, vitalem adeo, et vniuersum corpus viuificantem, nec sine grauissima noxa praesensissimoque vitae ipsius periculo, foras vniquam profluentem, contineri existimabant. Quare etiam non poterant non omnis generis Haemorrhagias, siue, quod vi vo-





cis ad idem redire videtur, ^{f)} Haemorrhoides, spontaneas illas, a causis internis, sine violentia adhibita, oriundas, Narium, puta, Pulmonum, Ventriculi, Vteri, Sedis denique, ex Venis, tanquam ex folis et genuinis fontibus, deriuare. Cuius doctrinae caput ac fundamentum, quod alio tempore ex classicis artis nostrae scriptoribus et primis architectis, plenius proposuimus, ^{g)} mox laudati CICERONIS, et, merito ipsi ad latus constituendi, facundissimi GELLII, oratione ac verbis elegantissimis, tradere, et in memoriam reuocare, liceat. Patrem eloquentiae ^{h)} Romanae non monitus agnosces. *Ex intestinis autem*, scribit, *et alio secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad iecur per quasdam, a medio intestino usque ad portas iecoris (sic enim appellant,) ductas et directas vias, quae pertinent ad iecur eique adhaerent. — Ab eo cibo quum est secreta bilis, iique humores, qui ex renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt, ad easdemque portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius viae pertinent; per quas lapsus cibus in hoc ipso loco, in eam Venam, quae Cava appellatur, confunditur, perque eam ad Cor, confectus iam coactusque, perlabitur: a Corde autem in totum corpus distribuitur per Venas, admodum multas, in omnes partes corporis pertinentes. — Ex Pulmonibus autem Spiritus pars redditur respirando, pars concipitur Cordis quadam parte, quam Ventriculum Cordis appellant; cui*
similis

f) Diuersum quid inesse, cum Auctore Defin. GALENI, HEBENSTREITIVS in *Exegeft Nom. Graec.* monet, illam sc. Haemorrhagiam, vehementem sanguinis eruptionem, hanc autem, Haemorrhoida, placidum eius fluxum, denotare. Id quod tamen non vbi-que perpetuum. Apud HIPPOCRATEM enim vtraque, copiosae, criticae, cum impetu fluentes, periculosae, morbosae, occurrunt.

g) in Specim. I. Meditatt. ad Circul. Sangu. 1743.

h) de Nat. Deor. II. 54.

similis alter adiunctus est, in quem Sanguis a iecore per Venam illam Cauam influit. — Eoque modo ex his partibus et Sanguis per Venas in omne corpus diffunditur, et Spiritus per Arterias. GELLIVS ⁱ⁾ autem ex libris medicis, cum alia pleraque ab isto humanitatis vsu non aliena, tum de Venis quoque et Arteriis, se didicisse profiteretur ad hunc ferme modum: *Venam esse conceptaculum Sanguinis, quod ἀγγεῖον Medici vocent, misti confusique cum Spiritu naturali, in quo*

- i) Noct. Attic. XVIII. 10. — Videtur autem GELLIVS ante oculos habuisse locum HIPPOCR. de Corde, §. 9. notatu dignissimum: Ἡ γὰρ μεγάλη ἀρτηρία βόσκειται τὴν γαστέρα, καὶ τὰ ἔντερα, καὶ γέμει ἰσοφῆς ἐκ ἠγεμονικῆς. οὗτι δὲ ἔρρεται βλέπομένη αἰμάτι ἢ μεγάλη ἀρτηρία, δῆλον ὡδε. Αποσφαιγέτος τὴ ζωῆ, χρισθείσης τῆς ἀριστερῆς κοιλίης, ἐρημὴν φαινέται πᾶσα, πλὴν ἰχθῶρος τινας καὶ χολῆς ξανθῆς. — ἢ δὲ ἀρτηρία ἔστω φαιμύουσα, ἔσδὲ ἢ δεξιῆ κοιλίῃ. h. e. Magna enim Arteria ventrem depascitur ac intestina, plenaque est alimento non principali; quod autem non nutritur sanguine apparente, et quem videmus, arteria ipsa magna, ex hoc manifestum existit: Macerato enim animali et sinistro ventriculo dissecto, tota desolata, (Sanguine vacua) apparet, modico seroso humore excepto, flauaque bile. — Arteria autem dextra Sanguine non est destituta, neque ventriculus dexter. — Ceterum non possumus, quin ea, quae excitato loco praefatus est GELLIVS, hic vna apponamus, CICERONIS ac GELLI I miratoribus, futurisque, quod optandum, imitatoribus, iucundissima, et bonae frugis plenissima: Hoc ego postea, quum in Medico (Venam pro Arteria dicente, εἰς τὴν αὐτῶν τῆς φλεβός.) reprehensum esse meminissim, existimaui, non Medico soli, sed omnibus quoque liberis, liberaliterque institutis, turpe esse, ne ea quidem cognouisse ad notitiam corporis nostri pertinentia, quae non altius occultiusque rebus remota, et quae natura nobis, tuendae valetudinis causa, et in promptu esse, et in propatulo, voluerit: ac propterea, quantum habui temporis subcisiui, Medicinae quoque disciplinae libros attigi, quos arbitrabar esse idoneos ad docendum.



quo plus Sanguinis sit, minus Spiritus; Arteriam autem Conceptaculum Spiritus naturalis, misti confusique cum Sanguine, in quo plus Spiritus sit, minus Sanguinis. In quo pulchre ipsi cum GALENO ^{k)} conuenit, integro libro aduersus ERASISTRATVM, contendenti ac probanti, etiam in Arteriis Sanguinem inesse, sed simul cum Spiritu, eumque adeo Vitalem, et ab eo, in Venis qui contineatur moueaturque, longe diuersissimum. Namque ex tribus superioribus animae facultatibus, Naturalem, Venarum adminiculo, vniuerso corpori alimentum ex iecore praebere; Vitalem vero ex Corde per Arterias vitam vniuerso corpori adflare per spiritus, qui cum tenuissimo Sanguine, in sinistro Cordis sinu generato, cum Sanguine nimirum feruido, tenui, vaporoso, spirituofo, in omnes partes dimanet, ac viuifico illos nectare irriget: hoc Medicorum Scholae, et tum, et ad HARVAEI vsque tempora, summae probabilitatis fiducia docuerunt.

§. 4.

Nihil itaque conuenientius esse poterat, quam pro certo et explorato assumere, eodem etiam modo Sanguinem in statu praeternaturali, quem dicunt, aut morbofo, siue ille omni succo laudabili exutus, siue quoquo modo vitiat, nimis copiosus, spissus, pituitosus, acris, tenuis, et quae sunt id genus plura, siue denique ille mutandus, coquendus, subducendus, criticeque euacuandus, fuerit, iisdem Venosis vasis contineri, proximeque per haec vasa aut sponte eliminari, aut facto vulnere euocari, ex illis debere. Vnde procul dubio est, quod sanguis venosus, imprimisque portarum atque vteri, etiam

k) Conf. de *Vsu part.* VI. 16. 17. Πλεονεκτῆ γὰρ ἐκ ὀλίγου, κατὰ μὲν τὴν διεξίαν, (τῆς καρδίας κοιλίην) ἢ τῆ αἵματος ὄσια, κατὰ δὲ τὴν ἀριστεράν, ἢ τῆ πνεύματος.

iamnum tam male audiat, postremusque venenatae¹⁾ suspicio-
nem indolis vix nostra aetate abs se auertere potuerit: arterioso
sanguine interea his quasi criminibus vacuo, suaque forsan
turgescencia, ac nimia spirituositate, alia morborum genera,
febres maxime, producturo. Pulchre ac sufficienter hanc theo-
riam illustant et confirmant, quae HIPPOCRATES, tum de
aliis Haemorrhagiarum generibus, tum praesertim de Hae-
morrhoidibus, de earum fede, origine, fluxu, suppressione,
de virtutibus ac noxis earum, obseruauit. Ac de fede quidem
et origine earum haec nobis, exempli causa, notanda ἀντόπτως
reliquit: ^{m)} *Cognosces autem, scribit, Haemorrhoides non
difficul-*

1) PLIN. H. N. VII. 15. *Sed nihil facile reperiatur, mulierum pro-
fluuiis magis monstrificum: Acescunt superuentu musta. sterilescunt
tactae fruges. moriuntur insita. exuruntur hortorum germina, et fru-
ctus arborum, quibus insedere, decidunt. speculorum fulgor aspectu
ipso hebetatur. acies ferri praestringitur, eborisque nitor. alui apum
emoriuntur. aes etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorque
dirus aëra. et in rabiem aguntur, gustato eo, canes, atque insanabili
veneno morsus inficitur.* Conf. Lib. XXVIII. 7. Addit LINDESTOLPE
de Venenis p. 143. Horrendum, si vera omnia! Equidem plura
transcribo, quam credo; nam nec adfirmare sustineo, de quibus du-
bito, nec subducere, quae accepi; dicam cum CVRTIO, IX. I.
Nos autem addamus, et cum CICERONE de Diuinat. II. 68. di-
camus: *An tu censeres, ullam animum tam deliram futuram esse, ut eius-
modi somniis, fabulis, ineptiisque, credat?*

m) de HAEMORRH. I. II. Γνώσει δὲ ἐ χαλεπῶς τὰς αἰμορροΐδας.
ὑπερέχουσι γὰρ ἐς τὸ ἐντὸς τῆ ἀρχῆς, οἷον βάντες πελιδναί, καὶ
αἶμα, ἐξαναγκασθόμενα τῆ ἀρχῆς, ἐξακοντίζουσι αἶμα. — Αἰμορ-
ροΐδων τὸ μὲν νόσημα ὡδὲ γίνεται. ἢν χολή, ἢ φλέγμα, ἐς τὰς
φλέβας τὰς ἐν τῷ ἀρχῷ κατασπρίξει, θερμαίνει τὸ αἶμα τὸ ἐν
τοῖσι φλεβίοσι. θερμαινόμενα δὲ τὰ φλέβια ἐπισπᾶται ἐν τῶν
ἐγγύσια φλεβίων τὸ αἶμα, καὶ πληρέεμενα ἐξογκέει τὸ ἐντὸς τῆ
ἀρχῆς,

B



difficulter. Super eminent enim in internam recti intestini partem velut vvae acini liuidae, et, simul ut sedes extrahitur, sanguinem ei aculantur. Fit autem Haemorrhoidum morbus hoc modo: Quum bilis aut pituita (acri humore mixta) ad Venas recti intestini decubuerit, Sanguinem, qui in Venis est, calefacit; calescentes autem Venae ex vicinis venulis Sanguinem attrahunt, et, ubi replentur, interna sedis pars intumescit, et capita Venarum super eminent, et partim, dum a stercore exeunte comprimuntur, partim, dum a coaceruato sanguine coguntur, (urgentur) sanguinem ei aculantur; atque hoc maxime quidem cum stercore, aliquando vero etiam sine stercore.

Non minore etiam elegantia fluentium virtutes cum suppressarum noxis coniungit, atque sic commemorat: *Qui Haemorrhoidas habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedaena, neque furunculis, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus, corripuntur. fortassis autem neque lepris, fortassis neque vitiliginibus. — multi tamen, intempestive curati, non tarde talibus correpti sunt, et sic perniciosae fuerunt. Ut alia nunc omitamus, ad laudes Haemorrhoidum pertinentia, vnaque probantia pulcherrime, quantum ad occupandos, soluendosque, grauissimos morbos placida ac tempestiua faciat vitiosi sanguinis, in Venis collecti, per Venas sedis profuentia:*

§. 5.

ἀρχῆ, καὶ ὑπερίσχυον αἱ κεφαλαὶ τῶν φλεβίων, καὶ αἷμα μὲν ὑπὸ κόπρῃ ἐξίσθησι φλόμενα, αἷμα δὲ ὑπὸ τῆ ἀίματος ἀφροζόμενῃ βιαζόμενα, ἐξακοντίζουσιν αἷμα. μάλις μὲν ζῶν τῶ ἀποπατῶ, ἐνίοτε δὲ χωρὶς ἀποπατῆ.

n) de Humorib. XI. 1. *Οἱ αἰμορροΐδας ἔχοντες, ἔτε πλευρίτιδι, ἔτε περιπνευμονίῃ, ἔτε φραγεδαίνῃ, οὔτε δοθίῃσιν, ἔτε θερμίνδοισιν, ἀλ' σκονταί. ἴσως δὲ ἐδὲ λέπρησιν, ἴσως δὲ ἐδὲ ἀλφῶσιν. — Ἰητρευθέντες γε μὴν ἀκαίρως, συχνῶσι τοῖσι τοῖστοισιν ἐ βραδέως ἤλωσαν, καὶ ὀλέθρια οὕτως,*



Expositis illis rationibus, quibus Venas, non Arterias, sanguinis laudabilis, minusque laudabilis, fontes et scaturigines habendas esse scholae nostrae, ab HIPPOCRATE ad vsque HARVAEVM docuerunt, proque huius suae hypotheseos veritate ac probabilitate, tanquam pro aris ac focis, mota lite, et sapere audentibus maioribus nostris, acerrime propugnarunt; iam nunc dispiciendum venit, quae in ora hae Venae discurrant, per quasque vias contentum, collectum, mutatum, excernendumque, dimittere et effundere posse sanguinem, haecenus putatum constitutumque fuerit. Secundum HIPPOCRATIS.^{o)} praeceptum enim, *reuellere oportet, si non, qua oportet, repant; si vero, qua oportet, his oscula aperire oportet, qualiter singula repunt.* — *Transitusque apertos esse oportet, velut in nares.* Enim vero eiusmodi ostia Venarum, in ipsas Arterias aperta, veramque adeo Venarum et Arteriarum, quam dicunt, inosculationem, Graece ἀνασόμωσιν, GALENVS.^{p)} iam satis cognita habuit, sanguinem natura in Arteriis esse, aduersus ERASISTRATVM operose contendens, atque hanc praesertim consequentiae necessitatem aduersario obiiciens: *cum primum ad ultimas arteriarum partes vacuitas pervenerit, e Venis in Arterias, adaperitis ipsarum ostiis, quod solum contingat, ubi totus Spiritus exierit, sanguinem*

B 2

trans-

o) Morbor. Popular. VI. II. 50. 60. Ἀντισπᾶν, ἢν μὴ, ἢ δὲ, ῥέπει. ἢν δὲ, ὅπῃ δὲ, τουτέοισι δὲ σομῶν, ὅως ἕκαστα ῥέπει. — Τὰς ἐφ᾽ ὅδους ἀνασομῶσθαι δὲ, ὅιον γίνας. cet.

p) Libro cit. cap. IV. Ἄλλ' ὅταν πρῶτον ἐπὶ τὰ πέρατα τῶν ἀρτηρίων ἢ κενώσις τῆ πνεύματος ἐξικνήται, μεταχέσθαι συμβήσεται κατὰ τὰς ἀνασομώσεις ἐκ τῶν φλεβῶν εἰς αὐτὰς τὰς ἀρτηρίας αἷμα, καὶ τὸτο μόνον τῶ κενωμένῳ πνεύματι.



transire, debere. Id quod, de *Vsu partium* ⁹⁾ differens, denuo vrget, et professo quasi studio tractat. Sicuti autem Medicus iste Philosophus rem acu non tetigit, interque bene multos alios possibiles fines, de motu tranfituque sanguinis opposito, ex Arteriis per ista oscula in Venas, multo probabiliore, licet alias subacti vir ingenii, non cogitavit: ita ista quoque ad rem praesentem nihil quidquam factura relinqui, longeque alia, foras patentia, inuestigari, propositoque fini adaptari, debuerunt; quae fini tamen suo haud feliciter responsura, tanto minus patrocinium admissura, deprehendas.

§. 6.

Praeter ista nimirum mutua Venarum atque Arteriarum oscula, sanguinis ac spirituum reciprocationi, non euacuationi, destinata, alia atque alia, siue iam satis aperta et sensus ferientia, siue caeca adhuc et turbato naturae ordine aperienda, in vniuerso corpore copiosissime a veteri schola assumuntur. Totum enim corpus peruium ipsis erat, sicuti re quoque vera est, et, secundum Artis Coryphaeum, ⁷⁾ vocabulo, latinitate donando, inspirabile ac expirabile, hoc est, exhalationibus ac inhalationibus aptum. Poros vocabant hos meatus, eosque maiores in Vasis Venosis, Arteriosis, Neruis, Visceribus, Cute, tum alimentorum distributioni ac nutritioni, tum excrementorum secretioni atque excretioni, seruiantes, admittebant; minores autem in omnium tunicarum, membranarum, aliarumque partium, substantia ac super-

9) Lib. VI. cap. 17. Τὰς δὲ τῶν ἀρτηριῶν πρὸς τὰς φλέβας ἀνατομώσεις ἢ φύσιν ἐκ ἀργῶς, εἰδὲ μάλιστα, ἐπιμημέρησεν, ἀλλὰ ὑπὲρ τὸ τὴν ἐκ τῆς ἀνεπινοῆς τε καὶ τῶν σφυγμῶν ὠφέλειαν μὴ τῇ καρδίᾳ μόνῃ καὶ ταῖς ἀρτηρίαις, ἀλλὰ καὶ ταῖς φλεβί, διαδιδόσθαι. Euolue etiam caput huius libri 10.

7) HIPPOCR. de morb. Popul. VI. S. VI. Δῆλον ἢ αἰσθησις, ὡς ἐκπνεον, καὶ εἰσπνεον, ὅλον τὸ σῶμα.

superficie, latentem disseminatos, sensibusque imperuios, ex suis tamen praeternaturalibus effectis agnoscendos, probabiles coniecturabant. Vt ne autem per eiusmodi patentes vias portasque, quod, tanquam laudabile et conseruationi ac nutritioni corporis idoneum, retinendum erat, elabi facile posset, contra vero, quod noxium futurum erat et mature expellendum, nimis diu retineretur, duplicem Facultatem, Retentricem atque Expultricem, commode satis dictam, veluti custodes, ad has portas collocabant, cauturas ac prouisuras, ne quid detrimenti animalis oeconomia capiat. Ex quo intelligitur, in turbatis laesisque harum facultatum actionibus, euacuationum sanguinearum causam proximam his facultatum patronis fuisse ponendam.

§. 7.

Quanta vero sit inter veteres, de differentiis profluuii huius sanguinei, deque causis hunc fluxum cientibus atque inducentibus, dissensio, multo studio congescit, luculenterque exposuit, BARCHVSENIUS. ^{s)} Secundum CELSUM ^{t)} enim auctores Medici fuerunt, vel exesa parte aliqua sanguinem exire, vel rupta, vel ore alicuius venae patefacto. primam διάβρωσις, (perforationem) secundam ἐρημοχασμόν, (hiatum ex ruptura) tertiam ἀναεμίωσις, (osculorum relaxationem) appellare. Vltimam minime nocere; primam grauissime, ac saepe euenire, vti sanguinem pus sequatur. In quibus sanguinis fluorem, ex rarefacta tunica, omissum, ROBERTVS CONSTANTINVS, commentator eius doctissimus, notauit. Consentit fere cum CELSO GALENVS, ^{u)} docetque, *profluere ex*
B 3 *Vena*

s) in Hist. Medic. p. 267.

t) de Re Med. IV. IV. 5.

u) Method. Med. V. 2. Ἐκχέεται τοίνυν αἷμα φλεβός καὶ ἀρτηρίας, ἥτοι κατὰ τὸ πέρας ἀνασομαμένον τῶν ἀγγείων, ἢ τῶ



Vena vel Arteria sanguinem, aut referato earum ore, aut tunica earum diuisa, aut, (vt sic dicat,) transcolatum, siue sudoris modo transmissum. — Diuidi autem ipsam tunicam, tum ex vulneratione, tum contusione, tum ruptione, tum erosione. — Anastomofin accidere propter tum vasis imbecillitatem, tum sanguinis, qui ad os eius impetu ruat, copiam; ad haec acrem quampiam, quae illi extrinsecus incidat, qualitatem. Diapedesin vero ex tunica ipsa quidem rarefacta, sanguine vero tenuato, oriri; accidere praeterea posse et ex gracilium vasorum ore adaperto. cet. Nos in tribus illis laesionum generibus, quae ad poros maiores ac minores, et ad vtrosque simul, pertinent, in anastomofi, diapedesi, et diaeresi, acquiescendum ducimus, mox ostensuri, istas immediatas, quae dicuntur, causas, fontes Haemorrhoidum venofos admodum turbidos ac lutulentos reddere, imo vero eosdem adeo obstruere et obturare, vt de aliis suscitandis atque eliciendis omnino cogitandum sit. Quare etiam de horum affectuum vnoquoque, quod GALENVS sibi faciendum vidit, nihil vltra addimus; praefertim quum de eorum natura atque virtute, abs laudatis nostris duumviris plene exposita, haud sane difficulter iudicandum videatur.

§. 8.

χιτῶνος αὐτῶν διαρεθέντος, ἢ ὡς ἂν τις εἴτι διδραμένον. Ὁ μὲν ἐν χιτῶν διαρεῖται, τιτρωσκόμενός τε καὶ θλάμενος, καὶ ἐρηγόμενος καὶ διαβιβρωσκόμενος. Ἀνατόμωσις δὲ γίνεται διὰ τε ἀτομίαν ἀγγείων καὶ πλήθος αἵματος ἀθρόως ρεύσαντος ἐπὶ τὸ σώμιον αὐτῶ, καὶ τινὰ ποιότητα προσεπίπτουσαν ἔξωθεν αὐτῶ δριμύειαν. Ἡ δὲ διαπήδησις ἀραιωθέντος μὲν τῷ χιτῶνος, λεπτινθέντος δὲ τῷ αἵματος ἀποτελεῖται. γένοιτο δ' ἂν ποτε καὶ δι' ἀνατόμωσιν ἀγγείων μικρῶν. Δεκτέον ἐν ὑπὲρ ἐκάστης διάθεσεως ἐν μέρει. Καὶ πρώτης γε τῆς διαρέσεως, ἣν ἐξ ἀναβρώσεως, καὶ τρώσεως, καὶ θλάσεως, καὶ ξήξεως ἴφραμεν γίνεσθαι.



§. 8.

Atque haec sunt praecipua illa, ex veteri maxime doctrina deprompta, sanguinis haemorrhoidalis, hoc est, per Venas sedis fluentis, fundamenta, quae scholis nostris ad recentissima vsque tempora, firma validaque, et numquam concutienda, visa sunt. Sed cum STATIO *) paene dixerim:

Florebant hilares, inconcussique, penates.

Si quid enim iudico, vnus ille nobilissimus Anglus, pulcherrimam hanc aediculam cum omni suo fundamento, non modo vehementer, concussit, sed funditus plane euerfit. Nam demonstratus ab HARVAEO Sanguinis Circuitus, isti Veterum supra, plus, quam satis, expositae hypothefi, ex diametro est oppositus.

§. 9.

Iuuabit per singulas ire partes, vt clare intelligatur, quam precaria, quam in lubrico ac instabili pristinae doctrinae fundamenta locata fuerint. Scilicet iam nunc Arteriae, sanguinis sinceri ac nutritiui, promi condi sunt: a corde, a Ventriculo cordis sinistro, sanguinem in totum corpus distribuunt; omnes cum sanguine humores ad partes corporis adducunt, cordisque ac suamet ipsarum, virtute, a partibus per patientissimas Venas iterum ad cor, ad Ventriculum cordis dextrum, in orbem igitur circulumque, reducunt. Cohaerent hunc in finem Arteriarum extremi ramuli cum tenerrimis Venarum radiculis, tanquam continui, non contigui, canaliculi; vnde quidquid ab Arteriis, ad punctum vnionis, aduehitur, id omne abs Venis excipitur atque reuehitur. Sed, alios in fines, Arteriarum sanguiferarum ramuli in minores adhuc arteriolas, in villos
tan-

*) Silu. I. V. 142.



tandem ac penicillos, finduntur, ad secretiones, ad nutritionem, ad excretionem, perficiendas; quorum aliquos poros arteriosos atque exhalantes vocare solemus. Coniunge cum his et porro perpende, quod arteriarum diametri, tanquam in conis inuersis, continuo decrescant, usque dum in venulas transire incipiant, aut in porulos exhalantes desinant; quam etiam ob causam viuis et impetuosis sanguinis motus et transitus in Arteriis, propter vim tunicarum maxime elasticis et fortiter reagentibus, viger, adeo, ut illae plenissimae ab irruentibus purpureis fluminibus turgescant, eleuentur, digitum prementem feriant, quantumque sanguinis ab cordis ventriculis accipiunt, tantumdem aequa velocitate ac virtute iterum dimittant, partemque in venulas eructent, et partibus, sua in integritate conferuandis, adducant, partem insensibiliter in auras exhalent.

§. 10.

Simul vero etiam ab altera parte siste tibi Venas, a tenerimis et capillaribus Arteriolarum canaliculis oriundas, quidquid ipsis per illos adducitur et offertur, audissime suscipientes, et ad cor demum, ad eius auriculas, reuehentes. Nec minore attentione, tenuissima Venarum principia, villulis ac penicillis, eodem, ut Arteriolae, modo stipata, horumque in corporis superficie ac cavitatibus origines considera, quos ab officio, quo funguntur, porulos venosos, ac venas demum resorbentes, hoc est, quidquid ab ipsis suscipi aptum est, imbibentes et ad sanguinem, motu quodam oscillante ac contractili, deferentes, vocare solemus. Adde his demum, harum venarum diametros continuo, ut in conis non versis, crescere, usque dum in sinus auricularum transeant; placidum propterea, et sensibus nullis percipiendum, sanguinis motum et ab ostiis Arteriolarum regressum, ob accedentem texturam tenuiorem ac molliorem, blandissime retinent.

nitentem, et contentos humores retinentem, adeo, vt nullo modo attollantur atque pulsent, in illis deprehendi, nihil igitur, ex illis iterum effluere ac dimitti, tanto minus accepta ab arteriis purpurea flumina exspatiari, aut in fontes suos relabi, posse.

§. II.

Nisi igitur nos omnia fallunt, ex his, ad oculos demonstrandis, simulque sumtis, nihil vnumquam aliud poterit effici, nisi quaecunque humoris alicuius, aut sanguinis, euacuationem ac effusionem, per Venas, exque earum cauis, prorsus esse impossibilem, et contra earum naturam, contra euidentissime demonstratam sanguinis Circulationem, legesque adeo hydraulicas, aperte repugnare. Effet, in statu integritatis, contra naturam, officium finemque, Venarum, conditicia promere, arterias in suis actionibus, circulisque, turbare, paene dixerim, principium, quod vocatur, contradictionis tollere. Excernenda atque retinenda, egerenda atque ingerenda, pari passu ambulare debent. Maximi morbi tenuissima habent initia. Quid fieret, metuendum quid esset, fin vel minima Venula officium suum desereret? Si sanguinem arteriolae suae prompta non exciperet? si guttulam extrauasati humoris non biberet? Si halitus in cauis corporis, in cerebri ventriculis, vt exhalantur, non inhalaret? Si haec omnia, iam suscepta, iterum dimitteret et rehalaret? Repugnaret contra circulationem sanguinis, legibus, aeternum victuris, substructam. Mouetur sanguis fluitque ad partes, per patentissimas Arteriarum portas, motoris, cordis, virtute, ponderi 180, 000. librarum, ex BO-KELLI ^{y)} mensura, aequali. Qui sanguis, tantis viribus, tan-

C

y) de *Motu Animal.* Prop. 73. conf. HALLERI *Physiol.* Tom. I. p. 448. 499.



to impetu, actus ac propulsus, sine motore aliquo, per inuias Venarum vias, remeare, suumque in caput, quod alta aequora non possunt, retro labi, saltem contra tam potenter fluentem sanguinem arietare, posset, sine aperta turbatione naturae ordinis, sine metuenda vasorum perruptione, sine plenissima destructione machinae huius hydraulicae, omnium artificiosissimae? Nihilo tamen fecius, menstruus feminarum fluxus sanguineus, secundum naturam est, cum euphoria sit, et placidissimus saepe vix percipitur. Narium haemorrhagia, eruptio sanguinis per pulmones, etiam per digitorum apices, quoties non est spontanea, et a leuiori causa orta, et sine dolore, et violentae alicuius compressionis sensu? Et, quid de Haemorrhoidibus periodicis ac criticis, adeo saepe placide ac salubriter fluentibus, dicamus, ut cum fluxu feminarum menstruo comparandae, ut prorsus naturales, aureaeque, habeantur? Ex adductis, exempli causa, rationibus, non colligitur, sed cogitur, non Venas esse posse huiusmodi haemorrhagiarum, tanto minus critique ac periodice fluentium Haemorrhoidum, subiecta.

§. 12.

Eodem modo improbabile, imo vero prorsus impossibile, est, ut a Veteribus in aciem productae causae immediatae, sua violentia, fluxum Sanguinis ex Venis tum in genere, tum etiam in Haemorrhoidibus, exprimere, aut plane extorquere, valeant. Facultates illas retentrices atque expultrices nunc non morabimur. Insunt hodie in partibus nostris solidis, in tono, robore, elasticitate, strictura, rigiditate, laxatione, mollitie, debilitate, tanquam in concreto quodam; adeoque, non statim, ceu occultae qualitates, alto nimis supercilio despiciendae, resque ipsae cum nominibus reiciendae sunt. Saltem Anastomoses

ses illas, et Diapedeses, et Diaereses, animaduersione nostra dignissimas, habituri sumus.

§. 13.

Anastomosis primum locum merito suo obtinet; quippe quae, ex CELSI ²⁾ laude, minime nocet, in patefactione oris alicuius Venae consistens. Sed ex illa ipsa finitione intelligitur, illam in re nostra praesenti locum habere non posse. Praeter anastomosis illam anatomicam, qua extremitates arteriolarum atque venularum communi quodam osculo ita vniuntur, ut pathologica anastomosis referari sine ruptura, quo sanguinem fundant, nequeant, nulla alia Venularum dantur ostiola, quam in villis atque penicillis, earum in extrema patulo ore ducentibus. At hos iam vidimus ad vascula resorbentia atque inhalantia referendos esse, sanguini igitur transituro non idoneos. Neque vero etiam vis sanguinis arteriosi pertingere ad has venularum veluti appendiculas, easdemque referare, potest. Tum enim, ubi isti villi in Venulas patent, sanguis non est amplius arteriosus; viresque eius, superata iam resistentia, in poro oriundae ab arteriola venulae maxima, omnino fractae: adeo, ut ab vertice ad latiore, minusque resistentem, conii basin, lente placideque fluere incipiat ac pergat. Adde, quod nulla causa rationalis excitari possit, quare sanguis hic arteriosus, integris adhuc suis viribus primoque impetu, nullum loci errorem committat, et rectiore tramite in patentiore suae extremitatis porum, serosi humoris exhalationi destinatum assuetumque, non irruat.

C 2

§. 14.

2) CELSVS de R. M. IV. 4.



§. 14.

Cum Diapedesi, hoc est, cum transudatione sanguinis per tunicas Venarum rarefactas, haud aliter comparatum est. Nulla dantur in tunicis aut membranis nostris inuisibilia foraminula, relictaque inter fibrillas longitudinales ac transversales, decussatim positas, inania spatiosa, quae antiquitas poros appellavit, omneque contextum propterea porosum habuit. Tam crassa pinguique Minerua membranulae et velamenta corporis nostri fabrefacta non sunt, ut cum linteis nostris cancellatim reticulatis, commode comparari possint. Porique nobis sunt, ut diximus, villi caui, vasculosi, non in cauum aliquod hiantes, aut foras etiam ex illo patentes, sed maiorum canaliculorum, decrefcentium, crescentiumue, arteriolarum, verbo, atque venularum, propagines; quod infinitis probari possit experimentis, et a nobis olim plus satis probatum iam, ostensumque est. ^{a)} Id quod vel ex ipsis venis haemorrhoidalibus, subinde ad rupturam vsque turgentibus, ex varicibus earum ac venarum cruralium in grauidis, ex arteriarum aneurismatibus, haud raro horrendae magnitudinis, similibusque tumoribus vasorum lymphaticorum aliis, tam luculenter intelligitur, ut indicasse ista violenter expanforum genera sufficiat. Qui enim, ut hoc vtar, varices istae haemorrhoidales, siue venae varicosae, generari vmquam possent, si collectis compressisque humoribus portae praesto essent innumerae, sine magna difficultate, nisiue, aperiundae? Cur tumidae Haemorrhoides tanto aestu, tam diris cruciatibus, vmquam furerent? Cur caecae essent, et perpetuis sanguinis destillationibus non incommodae?

§. 15.

^{a)} in Tractatu nostro, de *Siphonis Anatomici usu parum anatomico*. 1746.



§. 15.

Supereſt, vt de Diaereſi, eiusque generibus, paucula adhuc ſubiiciamus. *Grauiſſime illam nocere, ſaepeque euenire, vti ſanguinem pus ſequatur*, grauiſſimus auctor CELSVS^{b)} eſt. Quo efficitur, id genus clam exulceratas et ſanguinantes Haemorrhoides venoſos ſuos fontes maximopere deſoedare, et ex limpidis lutulentos facere. Sunt enim *τεῶνες*, et *θλάσεις*, et *διάβρωσεις*, et *ἔρξεις*, vulnerationes, nimirum, contuſiones, eroſiones, ruptiones, affectiones ſedis grauiſſimae, quae non Venis tantum, ſed Arteriis quoque, fatales accidunt, ipſasque, vtrumque vaſorum, cum neruis, genus, continentes ac regentes tunicas, diuidunt, quodque conſequitur, Haemorrhoides, ſcleratiſſimas, pernicioſas, funeſtas, verbo ſymptomaticas, producunt, et comites habent pediſſequeas. Sane tam improbis malignisque ſanguinis eruptionibus, cum Haemorrhoidibus, veluti ſecundum naturam, critice ac periodice fluentibus, ſaepe tam optatis, et auro carioribus, nihil poteſt eſſe commercii ac concordiae, nullus conſenſus, nulla conſpiratio. Quare cauſſas, tam diuerſa, tam inuiſa, producentes morborum genera, immediatas cum mediatis, miſſas facimus, et coronidis loco adhuc inueſtigamus, num rationes, quas a priori, fontibus Haemorrhoidum contrarias, deducere laborauimus, per experientiam quoque confirmari videantur.

§. 16.

Multum vtiq; probabilitatis habere videtur, omnem hanc litem omnium optime per experientiam, ipſamque oculorum fidem, dirimi poſſe ac componi; etſi hoc modo certi quid determinari poſſe magnopere dubitet I. A. WEDELIVS. c) Haemorrhoi-

C 3

b) de R. M. IV. 4.

c) in diff. de Haemorrhoid. Ien. 1727.



morrhoides enim, earumque molimina, quum hodie admodum frequenter occurrant, multique magni morbi, a caecis ac suppressis haemorrhoidibus oriundi, fatales tandem accidant et funestum habeant exitum: non potest non occasio subinde nasci, his defunctorum corpora cultro subiiciendi anatomico. Eiusmodi oportunitas obigit aliquando ANDR. VESALIO, ^{d)} primo illi Anatomes per vniuersam Europam, Professori; qui, quae vidit, in Haemorrhoidario viro, his verbis consignauit: *Hic namque ordinatis vicibus, ut mulieres suis mensibus, ex Venis in sedem pertinentibus, sanguinis crassioris fluxu vexari consueuerat; et quum ex nigro arquato, iecorisque mira duritie, periisset, num portae rami, an cauae, hunc sanguinem euacuarent, indagaturus, illum dissecui, atque Venae Portae ramum, sub coli intestini sine, et tota recti longitudine, in mesenterio ductum, pollicis fere crassitiem aequare, et sanguine illo crassiori lutosoque turgere, animaduerti, cauae venae ramis, huc pertinentibus, nihil prorsus immutatis, adeo, ut perquam stupidus censerer, si posthac ambigerem, num ex portae ramis, an cauae, melancholicus sanguis ex sede frequentius promanaret; et non certissimo mihi persuaderem, Venas has, nimium oppletas, quum iam sensim illum admiserint, apertis ipsarum oris eructare. Idem quoque a se obseruatum testatur B. BERGERVS ^{e)} noster, se vidisse, referens, in corpore ill. ICTI, C. ZIEGLERI, Venam, eiusdem magnitudinis, sc. pollicem crassam, sanguine partim liquido, partim crasso et grumoso, plenam. Cui adhuc addenda putamus, quae TEICHMEYERVS ^{f)} de tuberculis vasorum haemorrhoidalium nigricantibus abs se obseruata*

d) de Hum. corp. Fabrica, lib. V. c. 15.

e) in Disp. de Haemorrhoid. ultra modum prof.

f) in Instit. Medic. Pathol. et Pract. p. 257.

seruata commemorat. *Si tubercula, scribit, non apparent extus, re vera intus inueniuntur. Obseruauit in quodam cadauere, publice in theatro anatomico dissecto, eiusmodi nodos haemorrhoidales. Etenim totum intestinum rectum millenis nodis vel sacculis, sanguine repletis, erat exornatum et instructum.*

§. 17.

Quam uero optandum esset, ut eius modi turgentes Venas et varices Haemorrhoidales, non siccas semper et omnino clausas, sed fluentes etiam, et patulis hiantes orificiis, obseruatas commemorare possemus. Quales menstruorum scaturigines in fundo uteri se semel atque iterum conspexisse cel. MORGAGNVS ^{g)} refert. Quae *ill. enim HALLERVS, h)* adductis supra obseruationibus adiicit, eiusmodi esse apparent, ut magis ex his conclusa, quam propriis confirmata obseruationibus, esse videantur. Ait nimirum, *eiusmodi varices, vel omnino clausas, cum multo dolore, et aliis incommodis, siccas esse;* cuius rei oculatum testem TEICHMEYERVM laudat: *vel easdem fluere; quod dum fiat, vel minores venas inconspicuis ostiis subinde hiare, et sanguinem modice emittere, forsitan autem maiores truncos sanguinem fundere, maiori uertate fluentem:* quod posterius assertum tamen, idoneo testimonio, aut propria obseruatione, firmandum non habet. Sed, quum de eo quaestio vel maxime moueatur: num istae uenae varicosae sanguinem subinde re uera fundant? numque eiusmodi in uenis non distentis inconspicua ostiola, in varicosis uenis, pollice maioribus, uinquam conspici fuerint? argumenta sane,

g) in *Aduersar. Anat.* I. p. 45. 46.

h) in *Physiol.* Tom. VII. p. 144.





sane, ex analogia desumpta, loco fidae observationis esse, et quaestioni satisfacere, non poterunt. Quidni enim contrarium plane ex his varicosis Venis hoc modo inferre liceat? Si istae enim Venae in statu naturali inconspicuis praeditae sunt ostiis, eadem in statu praeternaturali, et adeo violenta distensione, necessario in conspectum prodire et patula hiare debent. Sed istae varicosae Venae eiusmodi inconspicua ostiola in statu Venarum naturali reuera existere non possunt, nec unquam deinceps in conspectum produci poterunt. Suam MORGAGNVS observationem pulchre confirmare poterat, noua obseruatione, quod nihil negotii fuerit, ex sanguineis maculis, in fundo vteri menstruati relictis, mediocri expressione cruentas guttas elicere. Tam felicibus vero esse istis venarum varicosarum, pollice maiorum, obseruatoribus hactenus non licuit. Vt vero ingenue, quod sentiam, fatear, nulla mihi videtur esse necessitas, vt novos hos fontes inuestigemus, atque operose eruamus, quum patentissima Arteriarum ostiola, supra a nobis indicata, iam in promptu sint, fontes Haemorrhoidum multo limpidissimi.



X 237 4522

911





OK 248, 19

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
VENA
FONTE HAEMORRHOIDVM
NON SATIS LIMPIDO

Q V A M
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE
GEORGIO AVGVSTO
LANGGVTH D
PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O. FAC. MEDIC. SENIORE
ET H. T. DECANO

AD DIEM XXII. IVNII MDCCCCLXVIII
H. L. Q. C
PRO GRADV DOCTORIS
DEFENDENDAM IN SE SVSCIPIT
IOANNES AVGVSTVS HEINSIVS
SORAVIA - LVSATVS
MEDICINAE CANDIDATVS

WITTENBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIS
ACADEMIAE A TYPIS

